



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XXX. De numero equorum & armigerorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1117.

Et cum abominabile hoc omnibus agnoscat, prohibemus & contradicimus, vt aliquis ea non habeat, imo prorsus careat. Aliis autem ad tempus famulantibus rostra & laquea, & capillorum superfluitatem, & vestium immoderatam longitudinem habere non permittimus, sed omnino contradicimus. Seruientibus enim summo Conditori munditia interius exteriusque valde necessaria, eo ipso attestante, qui ait: *Estote mundi, quia ego mundus sum.*

XXX.

De numero equorum & armigerorum.

Vnicuique vestrorum militum tres equos licet habere, quia domus Dei templique Salomonis eximia paupertas amplius non permittit impræsentiarum augere, nisi cum magistris licentia.

XXXI.

Nullus armigerum gratis seruientem feriat.

Solum autem armigerum singulis militibus eadem causa concedimus; sed si gratis & caritatiue ille armiger cuiquam militi fuerit, non licet ei eum verberare, nec etiam qualibet culpa percutere.

XXXII.

Qualiter ad tempus remanentes recipiantur.

Omnibus militibus seruire Iesu Christo animi puritate in eadem domo ad terminum cupientibus, equos in tali negotio quotidiano idoneos, & arma, & quidquid ei necessarium fuerit, emere fideliter iubemus. Deinde vero, ex vtraque parte æqualitate seruata, bonum & vtile appreciari equos iudicauimus. Habeatur itaque precium in scripto, ne tradatur obliuioni, & quidquid militi, vel eius equis, vel armigero, erit necessarium, adiunctis & ferris equorum secundum facultatem domus, ex eadem domo fraterna caritate impendatur. Si vero interim equos suos miles aliquo euentu in hoc seruitio amiserit, magister, prout facultas domus hoc exigit alios administrabit. Adueniente autem termino repatriandi, medietatem precii ipse miles diuino amore concedat, alteram ex communi fratrum, si ei placet, recipiat.

Concil. Tom. 27.

K